Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

de caelestibus nisi quis dicat de sole et luna et stellis
hoc posse sentiri. Et horum namque formas exprimere
gentilitas solet; sed quia moyses eruditus erat in omni
sapientia aegyptiorum. etiam ea quae apud illos erant
in occultis et reconditis prohibere cupiebat. sicut uerbi
causa ut nos quoque appellationibus utamur ipsorum
echecten quam dicunt aliasque daemonum formas quas
apostolus spiritalia nequitiae in caelestibus uocat. de quibus
fortasse et propheta dicit quia inebriatus est gladius
meus in caelo; his enim formis et similitudinibus inuocare
demonia moris est. his quibus uel adducunt uel adre-
pellenda uel etiam adiuuanda mala quae nunc sermo dei uniuersa
complectens simul abiurat et abicit. Et non solum idolum
fieri uetat sed et similitudinem omnium quae in terris et
in aquis et in caelo. Addit autem et dicit; non adorabis ea
neque coles ea; aliud est colere. aliud adorare; potest inter-
dum quis et inuitus adorare. Sicut cum nonnullis regibus
sectos adulantes cum eos in huiusmodi studia deditos uide-
rint adorare se simulant idola cum in corde ipsorum certum sit
quia nihil est idolum; Colere uero est toto his affectu et studio
mancipari. Utrumque ergo resecat sermo diuinus ut ne-
que affectu colas neque specie adores. Sciendum tamen est
quod cum decreueris praecepta huius seruare mandatum.
et omnes ceteros deos et dominos repudiare. et praeter